

nem, ita consequenter valde detestanda tepiditas boni desiderii, et tepor sanctae operationis in viis sanctitatis. Milites Christi sumus: ergo ferventer et fortiter pro illo et cum illo pugnemus, ut et ipsi demus gloriam et nostros vincamus hostes.

77. — **Notio teporis seu acediae.** — *Acedia*, juxta S. Bernard., est *taedium spiritualis boni quo quis negligit bona debita inchoare, aut coepta perficere*: vel juxta S. Bonav.: *taedium operandi bonum*. Comparatur salicibus, feбри haeticae, paralyti, lethargiae, ferro, terrae, aquae, scholari negligenti, homini stanti et non ambulanti, hydropisi, etc. (S. Bonav.). — Oritur ex deordinatione voluntatis circa bonum, quod refugit secundum instinctum concupiscibilem (id.). — Aliquando dicitur etiam *desidia*, quasi desistentia; *negligentia*, quasi non diligentia, torpor, ob appetitum quietis; et *pigritia*, ob difficultatem laboris.

78. — **Actus teporis seu acediae, sive torporis** varii sunt: — I. In exercitiis spiritualibus remisse se gerere; meditari sine fructu; orare sine devotione; conscientiam suam cursim examinare; legere quae delectent, non quae moveant; in confessione durum, in communionem lapidem et sine sensu existere; in exhortationibus spiritualibus sponte ad aliena distrahi; ferventes homines aversari et spirituales Directores fugere; colloquia inutilia quaerere et frequentare; nunquam se colligere, nec ad seipsum spiritualiter attendere; otium et carnalia desideria sectari; proposita continuo mutare (Ita varii DD.). — II. « Amant enim (tepidi) in carne suas conso-

latiunculas, sive in verbo, sive in signo, sive in facto, sive in aliquo otio: et si haec interrumpunt aliquando, non tamen penitus rumpunt; inde est quod raro affectiones suas dirigunt in Deum, et eorum compunctio non continuata sed horaria est » (S. Bern. *serm.* 3). — III. Tepidos « vix gehennae metus inhibet, vix pudor cohibet, vix froenat ratio, vix disciplina coeret » (S. Bern. *serm.* 6, *de Acedia*). — **NOTA:** Sedulo distinguendae ariditates quibus animae bonae voluntatis et sanctae firmaeque resolutionis non raro a Deo probantur, ab actibus teporis et acediae. Item distingue actus teporis transitorios a vita tepida. Aliter in varios errores incideres, ut patet ex sequenti n°

79. — **Signa tepiditatis, seu acediae.** — Praecipua signa quibus cognoscitur tepor sunt: — I. Magna quaedam facilitas in omittenda exercitia spiritualia; — II. Negligentia in operibus pietatis explendis (v. gr. irreverentiae, distractiones voluntariae, etc.); — III. Dissipatio continua ad objecta vana; — IV. Consuetudo operandi sine reflexione, sine bona intentione, sed ex gustu, etc.; — V. Incuria in ordine ad acquirendas virtutes, mortificationem passionum, etc.; — VI. Contemptus minimorum in negotio animae seu vitae spiritualis.

MONITA: 1° Tepor seu vita tepiditatis spiritualis non statim videnda et declaranda ob nonnullos defectus, quibus animae purgandae adhuc inficiuntur et detinentur, cum tepor sit potius, *quid habituale*, et totam spiritualiter agendi rationem quodammodo

respiciens. Unde non approbanda praxis aliquorum qui, ex falsa acediae seu teporis notione, animas frequenter perturbant, et sub praetextu fervoris, quamdam quasi desperationem causant et fomentant. — 2° Ubi adest *bona voluntas cum efficaci proposito laborandi* seu pergendi sive proficiendi in viis perfectionis, ibi adesse debet pax cordis, fiducia specialis perveniendi ad superiores perfectionis gradus; ac proinde pulvis imperfectionum et vulnera ex offendiculis viarum, i. e. defectus ex fragilitate, contra quos tamen vere pugnatur et pugnari vult, non constituunt fidelem in vero tepiditatis statu. — 3° Ergo quod de statu tepiditatis dicitur, ita cum grano salis explicandum et intelligendum, ut non videatur fere omnibus omnino devotis applicandum, nec fiat causa indebiti rigorismi ascetici destructoris desideriorum perfectionis et laetitiae spiritualis ad Deo serviendum inter tot humanae vitae adversa et diversa. Quae omnia recordari debent concionatores communitatum religiosarum, ne tempore praesertim spiritualium exercitiorum, vere devotos ad indebitam et falsam tristitiam inducant, fiduciam extinguant, fervorem minuunt, ascensiones animarum impediunt et amorem constringant: faciant utique ut vere tepidi timeant, sed omnibus ducatum praestent: iis qui sunt bonae voluntatis majorem ardorem, iis qui vere torpescunt intelligentiam de periculis acediae, omnibus fiducialem vigorem. — His praenotatis:

80. — **Mala seu effectus teporis proprie talis.**
— Ex ipsa definitione, atque ex notione actuum et

signorum verae acediae patet quantum fugienda et detestanda in viis vitae spiritualis. Unde non mirandum si tam vehementer reprobetur in sacris literis, et in Patrum et Doctorum scriptis.

HINC. — I. « Vult et non vult piger » (*Prov.* 13, 4). — II. « Scio opera tua; neque frigidus es, neque calidus, utinam frigidus esses! Sed quia tepidus es, et neque frigidus, neque calidus, incipiam te evomere ex ore meo » (*Apoc.* 3, 15). — III. « Sicut ad succensam ollam muscae non appropinquant, si vero tepida fuerit, insident in ea et faciunt vermes: ita et monachum succensum igne divini amoris fugiunt daemones, tepidum vero illudunt et insequuntur » (*In vitis Patr.* l. 3, n. 204). — IV. « Tepidi, si diu ita permanserint, sub onere aut opprimuntur et succumbunt, aut quodammodo in inferno sunt » (S. Bern.). — V. « Spiritu tepido et paulatim a gratia frigescente, necesse est carnem et sanguinem, quae sua sunt, quaerere » (S. Francisc. Assis.). — VI. Per longam acediam tandem « fit saltus de excelso in abyssum, de pavimento in sterquilinum, de solio in cloacam, de coelo in coenum, de claustro in saeculum, de paradiso in infernum » (S. Bern. *serm.* 63, *sup. Cant.*). — VII. « Tepiditas charitatem suffocat, devotionem extinguit, virtutes debilitat, oculos caecat, aggravat corpus, enervat mentem » (S. Laur. Just. *de casto connub.* c. 15). — VIII. « Vir in torpore et negligentia dies suos transigens, seipsum decipit » (S. Ephrem, *ad Monach. paraenes.* 34). — IX. « Vicina morti labes est torpor animarum »

(S. Paulin. *epist. ad Machar.*). — X. « Si incipis tepescere, incipies male habere » (*De Imit. Chr.* l. 1, c. 25). — XI. « Vae animae illi, quae in tepiditate sua secura consistit se justificando, de qua Dominus in Apocalypsi, in persona talis animae ait: Sedeo ut Regina, vidua non sum, luctum non video. Et subdit: propterea una die venient plagae ejus » (S. Bern.). — XII. « Radix desperationis est ignavia, et non solum radix, sed et nutrix ejus et mater » (S. Chrysost. *serm.* 1, *de lapsu*).

81. — **Media seu remedia contra teporem.** — Praecipua sunt: I. *Oratio ad divinum auxilium implorandum, ut concipiatur et confirmetur ac roboretur spiritus fervor.* — Unde merito ait D. Bern. (*serm.* 22): « Cum te torpore, acedia, vel taedio affici sentis, noli propterea diffidere, aut desistere a studio spirituali, sed juvantis require manum ». Imo qui vitio acediae jam infecti et debilitati sunt, ante omnia caveant ne orationis et devotionis exercitia derelinquant. Etenim, ut addit idem S. Bern. (*serm.* 3, *sup. Cant.*): « Saepe corde tepido et arido accedimus, orationi incumbimus: persistentibus autem repente infunditur gratia, pinguescit pectus, replet viscera inundatio pietatis ». Ergo, « si tepidus es, et evomi jam formidas, non discedas ab eloquio Domini et inflammabit te; quia eloquium ejus ignitum valde » (Id. *serm. de multip. util. verb. Dei*).

II. *Meditatio de Divina Majestate et propria infirmitate.* Constat ex efficacia meditationis et sanctae considerationis. Qui recordatur frequenter altis-

simae majestatis Dei et magnae propriae infirmitatis, roboratur in humilitate et reverentia, nec teporis somnio facile capitur.

III. *Non festinare in opere faciendo, sed pacifice, assidue et tranquille omnia meliori modo perficere.*

IV. *Brevitatis vitae recordatio, ut dum tempus habemus, operemur bona et thesaurizemus nobis aeternas divitias.*

V. *Fuga omnis inordinati terreni affectus.* Si enim ex vanitatibus mens occupetur, non curat quae pietatis et devotionis sunt.

VI. *Fuga otii et observatio ordinata distributionis temporis.* Absque ordine, tempus inutiliter insumitur, adaugetur defatigatio, generatur taedium, etc.

VII. *Constantia et fervor in exercitiis spiritualibus* juxta dicta n. I.

VIII. *Examen conscientiae* frequens, praesertim meridie et in fine diei. Videntur defectus et modus quo operatur.

IX. *Fuga inutilium colloquiorum, distractionum, et familiaritatum.*

X. *Exercitia spiritualia* singulis annis per aliquot dies instituenda, et semel in mense. Exercitia sint tibi tanquam vacationes spirituales in quibus interiora melius disponis, et in charitate diteris...

ALII SEQUENTIA ASSIGNANT REMEDIA: — I. Exempla sanctorum considerare; — II. Vitam Christi ob oculos semper habere; — III. Amorem Dei desiderare et in illo solidari; — IV. Auxilium divinum implo-

rare; — V. Salutem animae et propriam vocationem serio amare; — VI. Severitatem iudicii perpendere; — VII. Praesentiam Dei saepissime ad mentem revocare; — VIII. Continua in spiritualibus exercitatio; — IX. Non comparare se cum aliis; — X. Nunquam subsistere, sed quotidie fortiter quasi denuo incipere: *Ecce nunc coepi...*; — XI. Beneficia accepta et misericordias Dei memorare; — XII. Damna tepiditatis considerare, et quantum tepidi Deo displiceant meditare; — XIII. Praemium fervoris ponderare. — Denique semper recordandum et tenendum quod ad omnia quae vitari debent facilius et securius vitanda, *Maria frequentius invocanda, colenda, diligenda.*

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Quia Mater nostra Maria merito vocatur fons pietatis, « ad hunc igitur fontem sitibunda properet anima nostra. Ad hunc misericordiae cumulum tota sollicitudine miseria nostra recurrat » (S. Bern. *serm.* 4, *de Assumpt. B. V.*).

Mariam invoca. — Quis ergo misericordiae tuae, o benedicta, longitudinem et latitudinem, sublimitatem et profundum queat investigare?... Per te enim coelum repletum, infernus evacuatus est, instauratae ruinae coelestis Jerusalem; expectantibus miseris perdita vita data (id.).

Mariam laetifica. — Mortalia, venialia et teporem efficaciter detestando: perfectionem vitae B. Virginis meditando, et pro viribus imitando. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. IV.

DE OPERIBUS SIVE DE PRAXI VITAE PURGATIVAE SPECIATIM, ET PRIMO DE DEFECTIBUS PURGANDIS.

82. — *Necessitas Purgationis* patet ex peccatorum, defectuum et imperfectionum foeditate et effectibus, et ex hucusque dictis. Unde « qui agrum non coluerit (id est, animam suam non mundaverit) et spinis eum opprimi permiserit, habebit in hac vita maledictionem terrae suae, et post hanc vitam, habebit vel ignem purgationis, vel poenam aeternam » (S. Aug. *de serm. Dom. in monte*, l. 2). — « O stultitia mirabilis! mundat homo faciem, manus, pedes, imo etiam calces mundat, et miserum cor non mundat » (S. Bonav. *serm.* 2, *fer.* 2 *p. Pascha*). — « Quid stultius? quid detestabilius? quid inordinatius? vis habere omnia munda, et animam coelo nobilior non curas esse immundam » (id. *serm.* 4, *de SS. Apost.*).

83. — *Objectum purgationis specialis* REDUCITUR AD PECCATA CAPITALIA (seu eorum consectoria), PASSIONES et POTENTIAS. Unde agemus *de defectibus purgandis, de passionibus moderandis, de sensuum externorum et internorum purgatione*, et speciali